



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Castitatis præsidia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi (id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Eru-beant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (b) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;
Vitta coercerat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, *simplex mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cum procantium nobilitas, scientia, opes (Apollinem cogita) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosius ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (c) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissâ ramis laurea, fervidos
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternùm sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quàm qui fugâ tam gloriosa relatus est? De hoc emblemate, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit,

A 2

forn.

(b) Castitatis præsidia. (c) Castitas fugiendo vincit.